



• S • G • B • T • B •



• T • G • G • T •





z. B. A. h

W. A.

J. q. 259.





64  
COLLEGII TERTII  
In Augustanam Confessionem

DISPUTATIO XXXI.

continens

ANTIΘΕΣΙΝ ARTICVLI VII.

De Ecclesia,

*Et in specie,*

De Primatu Petri, quod ille de-  
struatur cum reprehensione, tum scri-  
ptis Pauli.

*Proposita,*

In Electorali Academia VVittebergensi,

P R Æ S I D E

JACOBO MARTINI S.S. Th.

Doct. & Profess. Publ. Primario, Facult. Theol.

Seniore, ac Templi Arcis Præposito,

R E S P O N D E N T E

M. JOHANNES SOLGERO

Ahornberga - Varisco.

*In Auditorio Collegii Veteris*

*Ad diem 23. Januarij.*

---

WITTEBERGÆ,

Ex Officinâ Typogr. AMBROSII ROTHII, Acad. Typogr.

ANNO M DC XXXI.



COLLEGII TERTII  
In Augustanam Consensionem  
DISPUTATIO XXXV

CONTINENS  
ARTICULOS VII  
**De Ecclesia**

De Primatu  
De Libertate  
De iurisdictione  
De potestate  
De officio  
De ministerio  
De disciplina  
De reformatione  
De schismate  
De heresi  
De schismate  
De heresi  
De schismate  
De heresi

JACOBO MARTINI SS. TH.  
M. JOHANNIS SOLGERO

W. T. B. B. G. A.  
Ex Officina Typog. AMBROSII ROTH. ALTD. A. S.  
Anno M. DC. LXXV.







D. O. M. A.

*Continuatio.*

**P**rima quatuor argumenta, quibus Petri Primatus destruitur, fuerunt haec: hac Disputatione agemus de quinto & sexto. Quorum illud adducit factum Pauli, quo in faciem contradixit Petro, indeq; firmissima consequentia concludit, Petrum nullam in Paulum jurisdictionem habuisse: Hoc nititur in genere Epistolis Paulinis, quæ evidentissimè evincunt, nullum jurisdictionis Primatum Petro tribui posse.

T H E S I S I.

Quintam igitur Antonii objectionem proponit Becanus lib. 2. de Republ. Eccles. cap. 9. §. 38. *Quinta obiectio: Pauli reprehensio destruit Primatum Petri. Hoc sic probas: Paulus in Epist. ad Gal. c. 2. v. 11. scribit, se in faciem restitisse Petro, quia reprehensibilis erat: Ergò Petrus non fuit caput Ecclesie: alioquin Paulus fuisset arrogans & procax, quod capiti Ecclesie ausus esset resistere. Hoc argumentum ( addit Becanus ) fusè persequeris, adductis multorum Patrum testimonijs, ad confirmandum Petri errorem & justam Pauli objurgationem.*

II. Argumentum igitur Antonii in formam Syllogisticam

A 2



Iticam resolutum, esse ejusmodi: Cui Paulus ausus fuit coram omnibus in faciem resistere, quod reprehensibilis esset; ille non habuit primatum vel jurisdictionem in Paulum & ceteros Apostolos: At qui Petro Paulus ausus fuit coram omnibus in faciem resistere, quod esset reprehensibilis: Ergo Petrus non habuit Primatum & jurisdictionem in Paulum & ceteros Apostolos. Majorem probat Antonius. Alias enim fuisset Paulus arrogans & procax, qui capiti & Monarchæ resistere non fuerit veritus. Addimus & hanc rationem, inferior enim non habet potestatem acriter & coram omnibus superiorem, & quidem Monarcham objurgandi, nedum resistendi. Minor est ad Gal. 2. v. 11. ubi Petrus acriter à Paulo reprehenditur: cujus sententia gravissima hæc est: quod Petrus non incesserit rectò pede ad veritatem Evangelij: quia gentes coegerit judaizare; v. 14. Audiamus quid respondeat Becanus.

III. Respondeo, inquit, Non opus est tot testimoniis. Fate-mur Petrum errasse: non quidem in aliquo fidei articulo, in quo errare non poterat, juxta illam Christi promissionem: Rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua: Sed in facto: quia incautè simulabat Judaismum, cum aliquo scandalo & offensione gentilium. Fatemur etiam Paulum apertè illi restitisse, quia meritò judicabat ejusmodi simulationem non esse tolerandam, eò quod esset scandalosa. At consequentia tua, quas hinc nectis, non valent. Non enim sequitur: Petrus fuit à Paulo reprehensus: Ergo non habuit primatum Ecclesie. Sicut in simili non sequitur; David fuit reprehensus à Joab, (2. Reg. 19. 5.) Ergo non habuit primatum regni. Imò multi Patres ex hac ipsa Petri reprehensione docent, superiores posse corrigi ab inferioribus, quando sit cum debita humilitate & charitate, ut August. Ep. 19. ad Hieron Cyprianus Epist. ad Quirinum, de hæreticis rebaptizandis; Gregorius Homil. 18. in Ezechielem; D. Thomas in 2. 2. quæst. 33. art. 4. ad 2.

IV. Quæ in initio Becanus movet de errore Petri, urgere nolumus, sufficit quod minorem simpliciter concedat, probetq; quod Paulus Petro apertè resistit; quia meritò judicaret, ejusmodi simulationem non esse tolerandam, eò quod esset



set scandalosa: *Sed queritur, si Petrus ejusmodi dominatum & primatū habuit, qualem jam Pontifici adscribunt, an Paulus id facere potuerit, vel impunè debuerit? Sed habuisse negare non possunt: cum fingant, Papam suum primatum, à Petro accepisse. Verum de Papa hodiè tradunt, quod non possit à quoquam judicari. Innocentius III. dicit, Papam secundum plenitudinem potestatis de jure posse supra jus dispensare, de concess. præbend. C. proposuit. Et sine rubore & pudore statuunt, si infinitas animas secum in Gehennam raperet Papa, neminem tamen dicere debere, Papa quid facis: Ergò neq; Paulus dicere debuit Petro, Petre pontifex quid facis, quid cogis gentes judaizare? non debuit ipsum judicare, multò minus in os ipsi resistere.*

V. Hæc cum sint certissima, quis non videt Jesuitam sibi & cæteris Papanis contradicere, quando Majorem negat & dat instantiam, *Davidem quoq; reprehensum fuisse & nihilominus habuisse primatum Regni: Verum instantia illa nulla est, & nequaquam Majorem Antonii infringit: Cujus sententia hæc est: cui Paulus in faciem, id est, acriter resistere non dubitavit, & potuit coram omnibus, ille non habet primatum, & potestatem absolutam agendi, ita ut à nullo possit judicari, & cui nemo debeat vel possit dicere, quid facis? Ad hanc Majorem instantia applicetur & ejus vanitas in aprico erit.*

VI. Primum David habuit quidem primatum regni, sed non ejusmodi licentiam sibi sumebat, ac exemptionem arrogabat, ut nullo modo ac ratione ab ullo homine voluerit reprehendi. Deinde Joab 2. Reg. 19. v. 5 non restitit Regi in faciem, sed prudenter pro temporis ratione monuit: Non etiam fecit coram omnibus, sed privatim: quippe ingressus domum regis, & ipsum colloquium evincit privatam fuisse. Ergò, uti diximus, instantia hæc nulla est.

VII. Pergit nihilominus Becanus eam urgere §. 39. *Similiter, inquit, non sequitur, Paulum fuisse arrogantem & procacem, quod ausus sit Capiti Ecclesie in faciem resistere; quia fecit hoc bono zelo ad tollendum scandalum quod ortum erat ex incauta Petri*



*simulatione. Sicut nec Joab censetur fuisse procax & arrogans, quod ausus sit suum Regem ob ipsius peccatum arguere & objurgare. Et aliunde constabat Paulo, Petrum propter modestiam & humilitatem quâ erat præditus; non agrè laturum fraternam correptionem quam sciebat ex bona intentione provenire.*

VIII. Bonus Zelus profectò Paulum excusare non potest, ut neq; finis, quem propositum habuit, ut nimirum tolleretur scandalum. Ratio: quia reprehendit illam Majestatem, quæ ex hypothese Pontificiorum à nullo reprehendi potest vel debet. Et si Papæ, secum in gehemam ducenti infinitum animarum numerum, à nullo dicendum est, quid facis: Ergo multo minus Petro, gentes Judaizare cogenti, dicendum fuit à Paulo: Petre, quid facis. Et si nemo Papam judicare debet: Ergo multo minus Paulo licitum fuit Petro in os coram omnibus resistere.

IX. Nec est, quod denuò inculcet Exemplum Joabi, cum (ut monstratum) illud sit diversissimum. Non enim publicè coram omnibus & acriter in os Davidi restitit, sed privatim, modestè, ac submissè monuit. Vti similiter facit 2, Sam. 24. v. 3. Ibi enim adductis gravissimis rationibus, numerationem populi Regi dissuadet, sed in faciem non restitit: Et dicitur statim v. 4. *prevaluit autem regis verbum super Joab.* Et ponamus, Joabum regi in os restitisse; nihil tamen Becani s contra nos obtineret. Quandoquidem Joab id jure non fecisset, cum inferior superiorem, modestè quidem & cum signo subjectionis possit monere: eidem verò coram omnibus in os sive faciem resistere neq; potest neq; debet. Ergo manet adhuc, aut Paulum fuisse procacem & arrogantem: aut Petrum primatum super reliquos Apostolos non habuisse: aut si primatus ei commissus fuisset, non modestè sed impiè egisset, auctoritatem, à Christo mandatam, negligendo.

X. Quæ autem vis argumenti est in eo: *Constabat Paulo aliunde Petrum propter modestiam & humilitatem, quâ erat præditus, non agrè laturum fraternam correptionem, quam sciebat ex bonâ intentione provenire? Hoc nimirum Paulus scivit, Petrum esse*



esse in suo primatu humilem & modestum: Ergo licitum fuit Paulo, ipsum publicè reprehendere, magnâ violentiâ corrigere, & acriter publicèq; ipsi in faciem resistere: & sic pro libitu Magistratus sui lenitate & modestia abuti: vel etiam Petrus fuit humilis & modestus, ut non ægrè tulerit correctiones & reprehensiones: Ergo fuit Primas & Monarcha inter Apostolos. In priore nulla est consequentia. Sequeretur potius, & Petrum & Paulum impiè egisse: illum, ut diximus, patiendo, & debitum honorem negligendo: Hunc agendo, vindicando sibi insolenter & arroganter assumendo, ut corrigeret illum, quem venerari juxta ordinationem Christi debuisset. In hoc meræ sunt nugæ. Si enim ita convasanda ex quavis occasione argumenta, & ex humilitate colligendus primatus: eadem vi consequentiæ possunt papani ex summo fastu & superbia colligere infimam humilitatem, & ex triplici corona Papæ, quodq; se jactet Dominum Dominorum, demonstrare, ipsum esse servum servorum: Et sic ex quolibet quidvis facere: faciliq; negotio omnes has absurdas ac impias opiniones defendere.

XI. Pergit Becanus §. 40. *De hac Petri & Pauli factio sic scribit Augustinus loco citato: Ipse Petrus, quod à Paulo fiebat utiliter libertate charitatis, sancta ac benigna pietate humilitatis accepit: Atq; ita rarius ac sanctius Exemplum posteris prebuit, quo non dedignarentur, sicubi fortè recti tramitem reliquissent, etiam à posterioribus corrigi; quàm Paulus, quo confidenter auderent, etiam minores majoribus, pro defendenda Evangelica veritate, salvâ fraternâ charitate, resistere.*

XII. Non sine causa quærimus, cui bono adduxerit Becanus hoc Augustini dictum, cum in illo nullius vel Monarchæ, vel jurisdictionem in Paulum habentis, mentio fiat? Imò neq; verum est, Paulum dici inferiorem Petro, sed posteriorem. Et hoc rectè. Nam posterior ad officium Apostolatus vocatus est Paulus. Sed, inquis, esse nihilominus, juxta Augustinum, Paulum exemplo, quod delinquentes etiam à minoribus corrigi possint. Sed quid inde? Sit ita: dixerit Augustinus, suo respec-



respectu certo, majorem fuisse Petrum Paulo (quod verò non dicit) numquid inde statim inferendum, ipsum statuisse, Petrum fuisse Monarcham, vel habuisse jurisdictionem in cæteros Apostolos? Estné is, qui major dicitur respectu minoris, Monarcha, & in hunc habet jurisdictionem? Forfan hac argumentandi forma etiam inferendum esset: Jacobum Majorem habuisse jurisdictionem in Jacobum Minorem?

XIII. Pergit Becanus §. 41. *Et certò Paulus non tantum suo exemplo, sed etiam scripto docuit, superiores aliquando moneri & corrigi posse ab inferioribus, servata semper debita charitate & subjectione, sic enim scribit ad Colossenses c. 4, 17. dicite Archippo: vide ministerium, quod accepisti à Domino, ut illud impleas. Erat Archippus ille Colossensium Episcopus, successor Epaphrae, qui tunc captivus Romæ tenebatur in vinculis, ut scribit idem Paulus in Epist. ad Philemonem vers. 23. salutem te Epaphras concaptivus meus in Christo Jesu. Si ergò Paulus mandat Colossensibus, ut moneant Episcopum sui officii: quid mirum est, si alij quoq; subditi possunt aliquando suos Prælatos, vel monere, vel reprehendere, si necesse sit?*

XIV. Primum Paulum hoc suo exemplo docuisse, superiores aliquando moneri posse ab inferioribus, ponamus verum esse: nihil verò id ad rhombum. Estné rursus superior statim Monarcha? vel habetné statim is, qui superior est, in inferiorem se, jurisdictionem? nugæ. Deinde inferiorem posse superiorem monere, servatâ debitâ reverentiâ & subjectione, non negaverim. Atquiverò, dic sodes: estné monere idem quod reprehendere, idem quod in faciem coram omnib; resistere, & accusare, quod non incedat rectò pede &c? Credat Judæus Apella. Verumenimverò Paulus non monuit superiorem, sed æqualem; quippe qui nullum Apostolum superiorem agnovit. Sic enim 2. Cor. 11, 5. *puto, inquit, me nihilo inferiorem fuisse summis Apostolis.* Et 2. Corinth. 12, 11. *nulla in re inferior fui summis Apostolis, etiamsi nihil sum.* Sic argumentor: Qui se nihilo, nullâq; in re inferiorem esse dicit summis Apostolis; ille nullum Apostolum, & sic neq; Petrum, ut superio-

rem,



rem, agnoscit: At Paulus se nihilo, & nulla in re inferiorem esse dicit summis Apostolis: Ergo Paulus nullum Apostolum, & sic neq; Petrum, ut superiorem, agnoscit.

XV. Tertiò rursus quæro, cui bono tam operosè probet Becanus, Paulum scripto docere, *Superiores aliquando moneri posse ab inferioribus, servatâ semper debita charitate & subjectione?* Quis enim unquam negavit? Monere potest, sed non reprehendere, & acriter in faciem resistere & contradicere. Hoc ergo probare debuisset ex Pauli Epistolis, subditum posse Monarcham reprehendere, in faciem coram omnibus resistere, & acriter contradicere: sed aqua illi hæret, non potest. Quum tale quid nunquam scripsit sed contrarium potius docuit, Eph. 6. v. 1. *Filii obedite parentibus vestris in Domino: Nam id est justum: honora patrem tuum, & matrem tuam &c.* & ad 1. Timoth. 5. v. 1. *Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut Patrem.* Et ipse Apostolus Petrus 2. Epist. c. 2. v. 9. 10. *Novit Dominus injustos in diem judicii puniendos servare: maximè verò qui carnem sequentes, in concupiscentia pollutionis ambulant ac DOMINATIONES contemnunt, audaces, præfracti, qui gloriâ præcellentes non verentur convitiis incessere.* Profecto, si Paulus Petro fuisset superior, ut fingunt Jesuitæ, utiq; & hoc ipsum in Paulum dixisset, injustitiæ ipsum accusasset, & pro ejusmodi habuisset, qui dominationem contemnat qui audax, præfractus, gloriâ præcellentes non vereatur convitiis incessere: Proindeq; ad minimum justo Dei judicio subiecisset, & reliquisset: Et sic aliquo saltem modo suam autoritatem, à Christo sibi commissam, asseruisset.

XVI. Cæterum Episcopum vel pastorem ab auditore placidè & fraternè moneri posse, ex dictis concessimus. Verum de ejusmodi fraternâ admonitione, quæ fit cum debitâ observantiâ & Reverentiâ, placido pioq; affectu ac charitate, jâ quæstio non est, sed de resistantia in faciem, quæq; fit coram omnibus. Verum de hac altum silentium apud Becanum: Proindeq; nihil probat.

XVII. Pergit Becanus §. 42. *Et recta ratio hoc dicit.*

B

Nam



Nam laudabile est, opera misericordia, sive corporalia sive Spiritua-  
lia, servato debito modo ac ordine prestare indigentibus, at peccantes  
corrigere, est opus misericordia spiritali: Ergo laudabile est serva-  
to debito modo ac ordine hoc opus prestare indigentibus. At non  
minus Prælati quam subditi possunt indigere correptione: & sæpè  
magis, quia sunt in altiori & periculosiori loco, ut rectè notat Augu-  
stinus in Regula ad servos Dei, circa finem, cum ait: non solum vestri  
sed etiam Prælati miseremini: quia inter vos, quanto loco superiore,  
tanta in periculo majore versatur.

XVIII. Tantum alia verba adfert Becanus, non argu-  
menta, quæ enim consequentia: laudabile est servato modo  
& ordine peccantes, correctione indigentes, corrigere: Ergo  
licitum est & laudabile, subdito, suum Monarcham & illum,  
qui jurisdictionem habet, acriter reprehendere, ei in faciem  
publicè & coram omnibus resistere, & contradicere? Nugæ.  
Quæ rursus consequentia; non minus Prælati, quàm subditi,  
indigent correptione, & sæpè magis, quia sunt in altiore & pe-  
riculosiore loco: Ergò debent subditi illos corrigere non tan-  
tum, sed etiam illis acriter, publicè, coram omnibus in faciem  
resistere? Nugæ meræ. Quæ consequentia: Augustinus ait:  
non solum vestri, sed etiam Prælati miseremini: quia inter  
vos quanto loco superiore tanto in periculo majore versatur:  
Ergo Prælatus est Monarcha: & ut Monarcha publice coram  
omnibus à subdito reprehendi & corrigi debet ac potest? Quis  
tam stupidus ac blennis, qui harum consequentiarum vanita-  
tes non videat, non intelligat?

XIX. Addit Becanus §. 43. Hoc argumentum, pulchrè  
explicat D. Thomas in 2. secunda, quæst. 33. Artic. 4. in hunc ferè  
modum: duplex est correctio: una justitiæ, quæ fit per inflic-  
tionem legitima pœna: Altera charitatis quæ fit per fraternam cor-  
reptionem. Prior convenit solis Prælati respectu subditorum;  
quia requirit jurisdictionem, quæ in solis Prælati est. Posterior  
convenit tam subditis quàm Prælati; quia est actus charitatis,  
quæ ad omnes proximos sive Prælatos sive subditos se extendit. Te-  
nemur enim omnes ex charitate diligere ac proinde omnes peccantes  
corri-



corripere, servatis iis circumstantiis quas charitas exigit. Non exigit autem charitas ut eadem libertate & autoritate corripiamus Prælatos, quàm subditos: sed exigit, ut Prælatos cum reverentia & subjectione; subditos cum mansuetudine & patientia quantum fieri potest, objurgemus.

XX. In allegatione verborum Thomæ committit Jesuita fallaciam divisionis. Tantum enim illa allegat, quibus quodammodo suam opinionem palliare possit: cætera omittit. Alias si verba integra allegentur, manifestum erit, Thomam eo loci contra nos non statuere, quatenus nimirum major à minori moneri possit vel non possit. Primum enim hanc facit conclusionem: *Non tenentur subditi secundum correctionem justitiæ Prælatos suos corrigere; sed charitatis correctione illos cum reverentia & honore, ac mansuetudine admonere. Verum hoc nihil aliud est, quam quod nos concessimus.*

XXI. Hoc autem modo Petrum à Paulo monitum, esse negat ipsemet Thomas: *ad secundum, inquit, dictum, quod in faciem resistere coram omnibus, excedit modum fraternæ correctionis. Et ideo sic Paulus Petrum non reprehendisset, nisi aliquo modo par esset, quantum ad fidei defensionem: sed in occulto admonere, & reverenter, hoc potest & ille, qui non est par.*

XXII. Ergò concedit Thomas, quod si Paulus non par fuisset Petro, in correctione modum excesserit & peccaverit; non verò, quia par fuit. Quod autem Thomas addit limitationem: *fuisse Paulum Petro parem, quò ad fidei defensionem:* eo ipso hanc tacitè potestatem distinguit à potestate jurisdictionis, ut illa Paulo quoq; concessa, licet soli Petro relinquatur: sed facit hoc sine omni fundamento. Nam si fuit Petrus Pauli inspector, director & Monarcha: Ergò cum primis talis esse debuit, respectu defensionis fidei. Quandoquidem in præcedentibus defendere Becanus satagit, propterea Petrum constitutum fuisse Apostolorum caput, ipsique supremam Ecclesiæ inspectionem & gubernationem à Christo concessam, ut Schismata præcaverentur. Schismata verò non oriuntur, nisi circa materiam fidei defendendæ: imò hæc ipsa



reprehensio à Paulo instituitur, nullam aliam ob causam, quam ut scandalosum schisma, quod ex Petri errato, imminere videbatur in tempore removeretur. Sic enim Thomas de Vio Caietanus in hunc ipsum locum Thomæ Aquinat. *Quare arguit Paulus Petrum propter periculum salutis credentium.* Et ipse Thomas Aquin. ibid ad 2. *Unde & Paulus propter imminens periculum scandali circa fidem Petrum publicè arguit.*

XXIII. Ergò necesse est, si Petrus habuit jurisdictionem, quod etiam in hac ipsa fidei defendendæ potestate Paulo superior fuerit, & nequaquam ipsum parem, sed æqualem, habuerit: haud secus atq; hodiè defendunt Papistæ in defendenda & definienda fide Pontificem Romanum parè non habere; cum solus errare non possit: atq; ideo omnis, qui hanc in se defensionem suscipit, id faciat autoritate Papæ, vel quatenus à Papa, tanquam capite pender: atq; in defensionibus fidei nihil certum, firmum & canonicum esse queat, nisi sit vel à Papa definitum, vel ipsius autoritate confirmatum. Si autem hoc: injusta arguitur Pauli reprehensio: si verò ut justa & defendenda, utiq; necesse est, Petrum etiam respectu jurisdictionis Paulo non fuisse superiorem.

XXIV. Atq; hinc Gal. 2. super illud: *in faciem ei restiti*, dicit glossa, **UT PAR.** Et Jus Canonicum cap. Paulus 2. quaest. 7. *Petrum Paulus reprobendit, quod non auderet, nisi se parem sciret.* Et Theophilaetus in cap. 2. Gal. de Paulo dicit: *Hic in proapatulo collocat, se ejusdem esse cum Petro pretij & honoris.* Et Ambrosius Paulum simpliciter in omnibus Petro facit æqualem, in commentario in cap. 2. Epist. ad Gal. mihi, hoc est, in editione Basiliensi Tom. 5. p. 332. 333. Et Leo orat. 1. de Natali Apostolorum: *Illos (loquitur de Petro & Paulo) electio pares, labor similes, finis facit æquales.* Hieronymus in 1. Gal. *inter æquales (loquitur de Paulo, Johanne, Petro & Jacobo) est collatio.*

XXV. Pergit Becanus §. 44. *Nondum quiescis, mi Antoni, Ais patres sic argumentari: Paulus non reprehendisset Petrum, si agnovisset illum pro supremo Ecclesiæ capite seu Monarcha. Et citas ex Hieronymo apud Gratianum 2. q. 7. c. Paulus. hæc verba: Paulus Petrum.*



*Petrum reprehendit: quod non auderet, nisi se non imparem sciret, Et ex Ambrosio, ad cap. 2. Epist. ad Galat. Quis eorum auderet Petro primo Apostolo, cui claves Regni cælorum Dominus dedit, resistere, nisi alius talis, qui fiducia electionis sue sciens se non imparem, constanter improbaret, quod ille sine consilio fecerat.*

XXVI. Omnino & nos sumus in illa sententia (ut patet existis, quæ hæctenus ex antiquitate allegavimus) Antonij argumentationem veram, certam, & irrefutabilem esse. Sed audiamus quid respondeat Jesuita:

XXVII. Respondeo, inquit § 45. Tu pervertis sensum illorum Patrum. Nam Gratianus disertè monet, Paulum dupliciter conferri posse cum Petro, primò quoad Ecclesiasticam dignitatem. Secundò, quoad puritatem vitæ & conversationis, Priori modo, Paulum fuisse imparem, seu inferiorem: posteriori, non imparem. Quod declarat duplici exemplo. Uno Augustini, qui scribit, se majorem esse Hieronymo, ratione Episcopatus: minorem ratione virtutum. Altero ejusdem qui alibi scribit, Cyprianum fuisse æqualem Petro in martyrio; minorem in potestate. Igitur ex sententia Gratiani, sic argumentanda est: Paulus non auderet Petrum reprehendere, nisi sciret se non imparem in puritate vitæ & conversationis. Non autem sic: Nisi sciret se non imparem in Ecclesiastica potestate. Ratio est, quia qui alium reprehendit, debet esse immunis ab illo vitio, de quo illum reprehendit: At Paulus reprehendebat Petrum de matà conversatione cū Judæis & gentibus: Ergò non ausus fuisset illum reprehendere, nisi scivisset se esse immunem ab hoc vitio; & in puritate conversationis Petro non imparem, sed superiorem. Jam advertis, opinor, imposturam tuam.

XXVIII. Credas mihi Lector, nugas vendit Jesuita. Non Antonius pervertit sensum Patrum: sed Becanus pervertit sensum Gratiani. Primum enim negare non potest, verba illa esse Gratiani 2. q. c. 33. Paulus. Deinde nō negamus, distinguere Gratianum in subsequente cap. 34. Quamquam, inter Episcopum & presbyterum: verum non dicit, illam in dignitate officii consistere; sed tantum in honorum vocabulis; idq; illustrat exemplis Augustini & Hieronymi, inter se collatorum.



Sic enim jacent verba Gratiani: *Quanquam secundum HONORUM vocabula, quae jam Ecclesia obtinuit, Episcopus Major presbytero sit: tamen Augustinus in multis rebus Hieronymo major est.* En quò ad rem ipsam & officiũ non distinguit Gratianus Episcopum & presbyterum: Sed tantum in honorum vocabulis, quæ tum in Ecclesia obtinuerant, discrimen ponit. Illa autẽ honorum vocabula & tituli nullam aliam distinctionem important quàm ordinis: Quod unus altero sit prior vel superior, quò ad ordinem, qui etiam quandam dignitatem Ecclesiasticam præ se fert; sed non statim jurisdictionem, & potestatem in alios, vel omninò Monarchiam.

XXIX. Quod attinet collationem Petri & Cypriani: verum est eam à Gratiano institui *sequenti c. 35. puto.* interim & hoc certum est, illam malitiosè à Becano perverti. Facit quidem Gratianus illos æquales & pares ratione martyrii; nequam verò inæquales & impares ratione potestatis & jurisdictionis; quippe cujus ne literã quidem mentio iniicitur: Sed ratione functionum & officiorum diversissimorum: Apostolatus nimirum & Episcopatus: & sic concludit: quia Apostolatus principatus cuilibet Episcopatus est præferendus; Petrus autem est Apostolus; Cyprianus verò Episcopus; sequitur Petrum hoc respectu & ratione Cypriano præferendũ esse; neq; hunc illi æquiparandum. Hunc verò & nullum alium esse sensum verborum Gratiani in dicto C. ut lector ipse judicare & testari queas, illa, ut apud Gratianum leguntur, scribam integra. Sunt autem hæc ipsa: *Puto quod sine ulla sui contumelia Cyprianus Episcopus (NB. Episcopus) Petro Apostolo (NB. non dicit Episcopo sed Apostolo) comparatur, quantum attinet martyrii coronã. Caterum magis vereri debeo, ne in Petrum contumeliosus existam. Quis enim nescit, illum Apostolatus principatum cuilibet Episcopatus præferendum esse? sed etsi distat cathedrurum gratia, una tamen est martyrum gloria.*

XXX. Nihil sanè hîc agitur de præminencia Apostolatus. Quid autem Apostolatus dignitas, vel principatus, ad Episcopum Romanum? Estne Episcopus Romanus Petri successor



cessor in Apostolatu? Non credas: nec affirmare audent ipsi-  
met papani, si enim Petrus in munere Apostolico habet suc-  
cessores; sequitur id non fuisse extraordinarium, sed ordina-  
rium: cū hoc ab illo differat in eo; quod in hoc sit successio,  
in illo non. Extraordinarium verò munus fuisse Petri Aposto-  
latum nemo hactenus negare ausus fuit.

XXXI. Quia igitur Gratianus Petrum Cypriano non  
præfert, Jurisdictione Episcopali: Sed Petrum à Cypriano in  
hoc solo distinguit & præfert, quod fuerit Apostolus: utique  
non præfert ipsum in aliquo, quod pertinet ad Episcopatum,  
sed simpliciter in eo, quod ab Episcopatu distinctum est, & in  
se consideratum, ab Episcopatu planè diversum: Si autē hoc:  
& nihil ejus, in quo à Gratiano Petrus Paulo præfertur, in se  
habet Pontifex Romanus (Nihil enim Apostolatus, ut talis, &  
ut ab Episcopatu distinguitur, est in Episcopatu Papæ Roma-  
ni) sequitur, quod etiam ita Episcopis cæteris non potest præ-  
ferri, ut hic Petrus à Gratiano præfertur Cypriano. Si autem  
hoc: sequitur illam præminentiam, qua Petrus Cypriano  
præfertur, nihil pertinere ad cathedram Romanam: nihil que  
ad hanc disputationem. Nam hic agitur de præminentia,  
quæ consistit in jurisdictione, & quidem ordinarij officij,  
nempe Monarchici, in quo Pontifex Romanus Petro succe-  
dere potuerit. Hoc officium tantum abest ut asseratur à Gra-  
tiano, & Petro tribuatur; ut potius de ipso negetur & remo-  
veatur.

XXXII. Sic enim Gratianus ibidem c. sequ. 37. ex  
Ambrosio Sermone 66. de natali Petri & Pauli decernit: *Bea-  
ti Petrus & Paulus eminēt inter universos Apostolos, & peculiari qua-  
dā prerogativa præcellunt: verū inter ipsos, quis cui præponatur, in-  
certum est: puto illos æquales esse meritis, qui æquales sunt passione, &  
simili eos fidei devotione vixisse, quos simul videmus ad martyrij glo-  
riam pervenisse. Non enim sine causa factum putemus, quod una  
die, uno in loco, unius tyranni tolerare sententiam: una die passi  
sunt, ut ad Christum pariter pervenirent: uno in loco, ne alteri Ro-  
ma deesset: sub uno persecutore, ut æqualis crudelitas utrumq; ca-  
figaret.*



figaret. Dies ergò pro merito, locus pro gloria, persecutor decre-  
tus est pro virtute. Et quo tandem in loco iudem martyrium pertu-  
lerunt? in Urbe Roma, qua principatum & caput obtinet nationum:  
Scilicet ut ubi caput superstitionis erat, illic caput quiesceret sanctita-  
tis, & ubi gentilium principes habitabant, illic Ecclesiarum principes  
morerentur.

XXXIII. Hæc & præcedentia Gratiani verba, ad  
quæ provocat ipse Becanus, conferantur cum argumento à  
Becano formato, & judicetur, an non Jesuita hic pessimâ So-  
phisticâ pervertat sensum Gratiani. Quandoquidem primum  
is expressè fatetur ambos, & Petrum & Paulum, peculiari qua-  
dam prærogativa præcellere inter universos Apostolos. 2. affir-  
mat, inter ipsos quis cui præponatur, incertum esse. 3. Suum  
addit iudiciū ac sententiam, qua in omnibus illos facit æqua-  
les, nempe omnibus meritis. 4. & ne quis æqualitatē & pari-  
tatē illam tantū astringat ad sanctitatem & puritatē vitæ ac cō-  
versationis; ut facit Becanus, sed etiam illam extendat ad Ec-  
clesiasticam potestatem. hoc C, concludit inquit: *Ubi caput  
superstitionis erat, illic caput quiesceret sanctitatis, & ubi gentilium  
principes habitabant, illic Ecclesiarum principes morerentur.* Diserta  
sunt verba: quibus Paulum non tantum Petro facit æqualem,  
respectu sanctitatis, oppositæ superstitioni ethnicæ; quippe u-  
trumq; sanctitatis illius caput nominans: sed etiam respectu  
potestatis Ecclesiasticæ, utrumq; principem prædicans Eccle-  
siasticum, Principes fuerunt gentium. Si ergò aliqua potestas  
vel majestas est in Ecclesia tribuenda Petro: illa æquè juxta,  
sententiam Gratiani Paulo est adscribenda: cum parem ha-  
beant potestatem.

XXXIV. Committit ergò fallaciā Divisionis Becanus  
in suo argumento, quod in verbis hiscè Gratiani contineri no-  
bis persuadere satagit. Nam ita ex sententia Gratiani est argu-  
mentandum: Paulus non auderet Petrum reprehendere, nisi  
sciret se non imparem, tum in puritate vitæ & conversationis,  
tum in dignitate & potestate Ecclesiastica: Non autem sic: *Nisi  
sciret se non imparem in sola puritate vitæ, & conversationis.*  
Ratio



Ratio est: quia qui alium publicè reprehendit, & in faciem coram omnibus contradicit, non tantum debet esse immunis ab illo vitio, de quo illum reprehendit, sed etiam quò ad dignitatem & potestatem vel coequalis vel superior: At Paulus reprehendebat Petrum de mala conversatione cum Judæis & gentibus, eique coram omnibus in faciem contradicebat; ergò hoc non ausus fuisset, nisi scivisset, se esse immunem ab hoc vitio, nec non parem Petro esse in dignitate & potestate Ecclesiastica.

XXXV. Quare ut argumentum, sic quoque ultima verba in Becanum retorquemus, dicentes: *Jam advertis, opinor, imposturam tuam.* Quandoquidem verba Gratiani sunt clara & perspicua. Imò ipsa recta ratio dicitur, si personæ sese habent, ut supremus magistratus & subditus, quod tum subdito (etiã sanctitate vitæ maximè superet potestate & dignitate superiorem) non liceat ob delicta graviora notoria in faciem coram omnibus magistratum reprehendere, eique contradicere & resistere.

XXXVI. Pergit Becanus ad Ambrosium, §. 46. *Idem crimen committis in citando Ambrosio. Nam ille similem adhibet distinctionem. Confert Petrum cum Paulo dupliciter. 1. ratione potestatis. 2. ratione electionis. Priori modo præfert Petrum, quia vocat illum primum Apostolum, cui claves regni cælorum datae sunt, insinuans Petrum ex hoc capite reliquos omnes antecellere. Posteriori, Paulum facit Petro æqualem: quia sicut Petrus immediatè à Christo electus est ad Apostolatam; ita etiam Paulus, ipso attestante, Gal. 1. 1. Paulus Apostolus, non ab hominibus, neq; per homines, sed per Jesum Christum.*

XXXVII. Si idem crimen committit, ut in præcedentibus, Antonius, plus quàm miraculosè agit. Committit enim crimen bonum & laudabile. Quia veritatem defendit argumento, quod Becanus refutare non potuit. Si autem defendere veritatem crimen est: utiq; malum crimen esse nequit. Sed bonum crimen non est crimen: & nugas vendit Becanus. Sed ad rem.



**XXXVIII.** Satis mirari non possum audaciam Be-  
cani in mentiendo. Haud dubie sibi imaginatus fuit, neminem  
Lutheranorum habere vel legere posse Ambrosiū, vel similes  
ex antiquitate scriptores, ut manifestissima illa & crassissima  
mendacia deprehenderet. Certum est, quod *Ambrosius* Pau-  
lum in omnibus loco allegato faciat parem. Nam ad vers. 6:  
hæc addit verba: *Nibil dicit se ab Apostolis consecutum, sed à Deo,*  
*quia qui imperitis sensum tribuit disciplinae Christianæ, ipse & mihi,*  
*inquit, cum essem legis peritus, dignatus est impertiri sensum rationis*  
*hujusmodi. Quomodo ergo fieri poterat, ut hic ab aliis disceret, quem*  
*peritum inventiens, peritorem fecit gratia Christi?* Et ad v. 7. & 8.  
pergit *Ambrosius* in suo commentario: *Petrum solum nominat,*  
*& sibi comparat, quia primatum ipse acceperat ad fundandam Ec-*  
*clesiam: se quoque pari modo electum, ut primatum habeat in fundan-*  
*dis gentium Ecclesiis; ita tamen ut & Petrus Gentibus prædicaret, si*  
*causæ fuisset, & Paulus Judæis. Nam uterque invenitur utrumque*  
*fecisse: sed tamen plena autoritas Petro in Judæismi prædicatione*  
*data dignoscitur, & Pauli perfecta autoritas in prædicatione Gen-*  
*tium invenitur. Unde & magistrum Gentium se vocat in fide & ve-*  
*ritate. Unusquisque enim pro viribus suis & dispensationem sortitus*  
*est. Difficilius enim fuit eos, qui longè à Deo erant ad fidem suam*  
*attrahere & suadere, quàm proximos.*

**XXXIX.** Et porro ad v. 9. sic annotare pergit: *Ab A-*  
*postolis, qui clariores inter ceteros erant, quos & firmitatis causa co-*  
*lumnas appellat, quique cum Domino semper in secretis fuerant, gloriã*  
*ejus digni in monte respicere, ab his itaque probatum dicit donum, quod*  
*accepit à Deo, ut dignus esset habere primatum in prædicatione gen-*  
*tium, sicut & habebat Petrus in prædicatione circumcissionis: & sicut*  
*dat Petro socios, viros egregios inter Apostolos: ita & sibi jungit Bar-*  
*nabam, qui divino judicio ei adjunctus est: gratiam tamen primatus*  
*sibi soli vindicat concessam à Deo, sicut & soli Petro concessa est inter*  
*Apostolos, ita ut Apostoli circumcissionis dextras porrigerent Apostolis*  
*gentium, ad concordiam societatis demonstrandam, ut utrinque scien-*  
*tes perfectionis spiritum in dispensatione Evangelii se à Domino con-*  
*secutos, in nullo se invicem egere ostenderent, &c.*



XL. Ad verſum porro ii. ſic pergit Ambroſius: *Post concordiam ſocietatis, & honorificentiam Primatus, quam ſibi invicem per gratiam Dei detulerunt, nunc interveniente cauſa negligentia vel erroris, diſſidere inter ſe videntur Apoſtoli, non in propria cauſa, ſed in ſolicitudine Eccleſiæ. In faciem, inquit, illi reſtiti. Quid eſt hoc, niſi in præſenti ei contradixi? Et quã cauſã, ſubjunxit, dicens: Quia reprehendus erat? Reprehendus utiq; ab Evangelica veritate, cui hoc factum adverſabatur. Nam quis eorum auderet Petro, primo Apoſtolo, cui claves Regni cælorum Dominus dedit, reſiſtere: niſi alius talis, qui fiducia electionis ſuæ ſciens ſe non imparem, conſtanter improba-  
ret, quod ille ſine conſilio fecerat, &c.*

XLI. Hæc ſunt, quæ de hac Pauli reprehensione ſcripſit Ambroſius: illa autem integra adducere volui, ut quilibet crimen falſi Becani ipſis manibus palpate paſſet. Primum enim fatetur Ambroſius, Petrum nihil ab Apoſtolis conſecutum eſſe; ſed à Deo. En Apoſtolos, & ſic Petrum quoque & Deum opponit in eo: quod nihil ab illis, omnia autem à Deo acceperit: Ergo neque directionem ab illis, ſive etiam Petro, ſed à ſolo Deo: Ergo neque Petrum ex illis agnovit ſuum Monarcham, ex ſententia Ambroſii. Sic enim argumentor: Qui Apoſtolos omnes, & ſic Petrum quoque, & Deum ita opponit, ut in ſuo Apoſtolatu, & tota officii adminiſtratione Paulus nihil ab illis, omnia autem à Deo accipiat, is Petrum non agnoſcit Monarcham Pauli. Atqui Ambroſius Apoſtolos omnes, & Deum ita opponit, ut Paulus nihil ab Apoſtolis, omnia verò à Deo accipiat: Ergo Ambroſius non agnoſcit Petrum Monarcham & Dominum Pauli. Poſſem etiam urgere rationem, quam ſubjicit Ambroſius: quod potius cæteri Apoſtoli à Paulo, quàm hic ab illis diſcere debuerint, cum hunc peritum inveniens, peritiorem fecerit gratia Chriſti.

XLII. Deinde æqualitatem Petri & Pauli ratione Primatus expreſſe, & totidem verbis confirmat Ambroſius, dicẽs: *ut Petrus primatum acceperat ad fundandam Eccleſiam; ſic Paulum quoq; PARI MODO electum, ut primatum haberet in fundandis gentium Eccleſiis. En qualem primatũ tribuit inter Judæos Petro,*



eum & planè eundem tribuit Paulo: &, ut emphaticè addit, *PARI MODO ad illum electo*. Nota ergo hic crimen falsi Becani, & fallaciam divisionis: quippe distinguit Potestatem & Electionem: & Ambrosio tribuit, quasi ratione Potestatis Petrum præferat Paulo; ratione verò Electionis Paulum Petro faciat æqualem. Crimen falsi committit, quod potestatis ratione Petrum Paulo ab Ambrosio præferri dicit; cum in toto Ambrosii commentario *Potestatis* vox non legatur. *Primatus* vocem adhibet, non potestatis. Non autem omnis, qui primatum tenet, & primus est in aliquo Collegio, societate, vel corpore, is statim in cæteros habet potestatem & jurisdictionem.

XLIII. Et si vel maximè omnis primatus jurisdictionis potestatem involveret sive contineret; tamen juxta Ambrosium quoad jurisdictionem Paulus Petro par fuisset: neque Petri Monarchiæ subjectus: sed suam peculiarem habuisset Monarchiam & jurisdictionem. Quandoquidem committit, ut diximus, Jesuita fallaciam divisionis. Non enim electionem & Primatum, sive Potestatem, Ambrosius distinguit, vel separat, sed conjungit, dicens, *Paulum pari modo electum, ut primatum haberet*: non verò ita, ut putat Becanus: *Paulum pari quidem modo electum esse, ut Petrum*; Petrum nihilominus quoad primatum Paulo præferri: Nequaquam verò. Unde sic argumentor: Qui pari modo electus est, ut primatum haberet in Ecclesia Gentium, ut Petrus electus est, ut haberet primatum in Ecclesia Judæorum; is Petro quoad primatum suum peculiarem est æqualis, & Petri primatui non est subjectus: Atqui Paulus, juxta Ambrosium, æquè electus est, ut haberet primatum in Ecclesia Gentium, ut Petrus in Ecclesia Judæorum: Ergò, juxta Ambrosium, Paulus quoad primatum suum peculiarem Petro est æqualis, & Petri primatui non subjectus.

XLIV. Tertio & sic ex verbis Ambrosii argumentor: Cujus autoritas ita perfecta in prædicatione Gentium invenitur, ut Petro in Judæismi prædicatione data dinoscitur, ille est Petro par, & ipsius jurisdictioni sive Monarchiæ non subjectus.



jectus: Atqui juxta Ambrosium Petri autoritas ita perfecta in  
prædicatione Gentium invenitur, ut Petro in Judaismi præ-  
dicatione data dinoscitur: Ergò juxta Ambrosium Paulus est  
Petro par, ejus jurisdictioni non subjectus.

XLV. Non tangam & hoc, quòd difficilior Apostoli  
Pauli fuerit expeditio, quam Petri. Possum enim quartò sic  
argumentari: Cui ob majora dona committitur difficilius  
officium & expeditio, quam Petro, ille Petri jurisdic-  
tioni non est subjectus: Atqui juxta Ambrosium Paulo ob ma-  
jora dona committitur difficilius officium, vel officii ex-  
peditio, quam Petro. Ergò Paulus Petri jurisdictioni non fuit  
subjectus: Major est certa. Nam si Petrus esset Monarcha, &  
in totam Ecclesiam haberet inspectionem; tum non posset di-  
ci, quòd Paulo difficilius munus expediendum fuerit comi-  
sum; cum munus illud Petri muneri esset inclusum vel subor-  
dinatum, & non contradistinctum sive oppositum. Minor est  
Ambrosii.

XLVI. Quintò sic argumentari possum: Qui dignus  
fuit habere primatum in prædicatione Gentium, sicut habet  
Petrus in prædicatione circumcisionis: & qui ita sibi jungit  
Barnabam, Titum &c. ut gratiam tamen primatus sibi soli vè-  
diceret, concessam à Deo; ut Petrus habuit socios egregios viros  
inter Apostolos; ille Petrum pro capite & Monarcha non a-  
gnoscat: At Paulus juxta Ambrosium dignus fuit habere pri-  
matum in prædicatione gentium &c. Ergò Paulus juxta Am-  
brosium Petrum pro capite & Monarcha non agnoscat.

XLVII. Sextò: Qui cum suis sociis dextras porrexit  
Apostolis Gentium, ad concordiam societatis demonstnan-  
dam, ut utrinq; scientes perfectionis spiritum in dispensatio-  
ne Evangelii se à Deo consecutos, in nullo se invicem egere  
ostenderent; ille sibi vel soli, vel cum suis sociis jurisdictionem  
super Apostolos gentium non arrogavit: Atqui Petrus cum  
suis sociis viris egregiis Apostolis circumcisionis, dextras por-  
rexit Apostolis gentium: Ergò Petrus vel solus vel cum suis so-  
ciis nullam omninò sibi arrogavit jurisdictionem super Apo-  
stolos gentium.



XLVIII. septimò: Qui concordiam societatis, & honorificentiam primatus sibi invicem per gratiam Dei detulerunt, illi quoad primatum & jurisdictionem sunt æquales; & alter alteri præferri nequit: Atqui Petrus & Paulus concordiam societatis, juxta Ambrosium, & honorificentiam per gratiam Dei sibi invicem detulerunt: Ergò sunt æquales, & alter alter præferri nequit.

XLIX. Octavò: Qui fiducia electionis suæ sciens se non imparem Petro primo Apostolo, cui claves Regni cælorum datæ sunt, constanter improbat, quod ille sine consilio fecerat, in illum Petrus nullam habet jurisdictionem: Atqui Paulus, fiducia electionis suæ sciens se non imparem Petro, constanter improbat, quod ille sine consilio fecerat: Ergò in Paulum Petrus nullam habet jurisdictionem.

L. Impudens autem mendacium est, quod excipiat Becanus, hic Petrum Paulo ab Ambrosio præferri, quod vocet ipsum *primum Apostolum, cui claves Regni cælorum datae sint*: cum verba Ambrosii disertè contrarium non tantùm insinuent, & sic obscurè indicent, (ut loquitur de suo phantasmate Becanus), sed omninò expressè & disertè dicant: Nempe quod Paulus ita par fuerit Petro, ut neque in hoc, quod esset Apostolus, nempe circumcisionis, & quod ipsi datæ sint à Domino claves regni cælorum, ipsi sit impar. Idque non negat, quod additur, *Petrum vi electionis se non imparem esse*: sed potius confirmat: quippe respicit ad id, quod in præcedentibus dixerat: *Petrum solum nominat, & soli comparat: quia primatum ipse acceperat, ad fundandam Ecclesiam: se quoq; pari modo ELECTUM, ut primatum haberet in fundandis gentium Ecclesiis &c.*

LI. Sensus ergò ultimorum istorum verborum Ambrosii est: Qui fiducia electionis suæ, nempe quod pari modo electus esset Paulus, ut primatum haberet in Ecclesia gentium: atq; Petrus primatum accepisset in Ecclesia Judæorum, sciens se non imparem &c. I nunc Jesuita, & dic Antonium crimen commississe in citando Ambrosio.

LII. Pergit Becanus §. 47. *Tandem: quia vides te arguentis*



mentis nihil proficere, convertis te ad scommata & sarcasmos, quasi  
à occasione ex illis Gregorii verbis, Hom. 18. in Ezechielem: Ecce Paulus  
in Epistolis suis scripsit, Petrum reprehensibilem: Et ecce, Petrus in  
Epistolis suis asserit, Paulum in iis, quæ scripserat, admirandam. Cer-  
tè enim, nisi legisset Petrus Pauli Epistolas, non laudasset. Si autem  
legit, quia illic esse reprehensibilis dicitur, invenit. Amicus ergò veritatis  
laudavit etiam, quod reprehensus est. Hanc Gregorii sententiam  
mirificè laudas. Et meritò. Sed venena inde colligis non mella, quod  
malum est. Sic enim subnectis: Mirum verò quod Petrus, h. e. sum-  
mus Ecclesiæ Monarcha, & supremus Christi ac Dei vicarius, illam  
Pauli Epistolam ad Galatas in Indicem expurgatorium statim non  
conjecerit, quippe ipsum primum & supremum Papam, adeò depri-  
mentem, & ipsius errores exaggerantem. Certè Petri successores ta-  
les Epistolas & libros, qui ipsorum errata & reprehensiones rationa-  
biles continent, jam ferre nolunt, proscribunt eos, & diris devovent.  
Expectandum profectò, ut si planè nostri Papæ viderint ex Evangelico  
Canonico Papatum destrui, Evangelium etiam ipsum in librorum  
prohibitorum indicem detrudant.

LIII. Quod dicit, nihil effectum esse argumentis allatis, non  
Jesuita, sed cui

*De meliore luto genuit præcordia Titani;*

& cui corruptum iudicium non est, iudicet. Id effectum esse  
certò scimus: quod totà & universâ suâ sophisticâ & versutiâ  
Jesuitæ, quotquot sint, in æternum insectum non sunt reddi-  
turi. Deinde somma & sarcasmus non est veritas in loco &  
tempore prolata: quod hic factum esse nemo sanus & ortho-  
doxus negabit. Phantasias Jesuiticas non curamus. Sic neque  
venena neque mala sunt, quæ, non quidem ex Gregorii verbis,  
sed ex moribus Papistarum & Pontificum, occasione illorum  
Gregorii verborum colligit Antonius. Venena quidem &  
pessima sunt facinora in se, non verò illorum ab Antonio insti-  
tuta relatio: Quæ ille adfert, non in malum, sed in bonū hunc  
finem, ut nobis caveamus, ne decepti illis inficiamur, & veluti  
cæci cum Ductoribus & Doctoribus cæcis in foveam æterni  
& infernalis ignis præcipitemur. Sed audiamus quid tandem  
respondeat Becanus.

54. Re-



LIV. Responſionem annectit §. 48. *Hic apparet verum esse, quod Christus dicit in Evangelio: Ex abundantia os loquitur. Et, malus homo de malo thesauro cordis sui profert malum. Multiplex malum ex thesauro tuo profers. Primò, Petrum Apostolum, per Ironiam ac derisum, vocas summum Ecclesie Monarcham, & supremum Christi vicarium. Si non volebas parcere Pontifici, pepercisses saltem Petro, qui in Evangelio ab ipso Christo laudatus est: Beatus es Simon Barjona.*

LV. Christi quidem verba sunt longè verissima: applicatio verò Becani est falsissima & pessima. Nam quæ hæcenus ex Antiquitate proposuit Antonius, mala non sunt, ut ipsemet Becanus fateri cogitur: applicationes verò, & argumentationes inde derivatas, & contra sophismata Jesuitarum directas, bonas, & verissimis niti consequentiis ad oculum demonstravimus; ut neque hoc nomine, malum quid illis tribui queat. Quod ergò ultimam accusationem attinet, quoad materiam, illam mala & pessima multa continere, agnosco: at inde non statim sequitur, illam quoque malam esse. Cum mali accusatio & damnatio semper vera: defensio verò & excusatio, ubi confessio requiritur, semper mala est. Ergò invertimus argumentum, & in ipsum Becanum retorquemus: Qui defendit malum, & ubi id agnoscere & fateri debet, excusat, imò contra conscientiam negat, is ut malus homo de malo suo cordis thesauro profert malum: Atqui Becanus defendit malum, & ubi id agnoscere & fateri debet, excusat, imò contra conscientiam negat: Ergò Becanus, ut malus homo, de malo thesauro cordis sui profert malum. Major utrinque conceditur. Minor probabiliter in jam sequentibus.

LVI. Primum malum Jesuita dicit esse: quod Antonius *Petrum Apostolum per Ironiam ac derisionem vocat Monarcham, & supremum Christi vicarium.* Sed quis non intelligit, Becanum magnam facere injuriam Antonio? Quippe qui quidem de Petro agit & loquitur, sed non de Petro Apostolo (uti etiam non dicit Petrus Apostolus, sed *Petrus*, hoc est, *Monarcha*), sed de fictitio Petro, qui sibi arrogavit jurisdictionem in Apo-



Apostolos: qui gestavit triplicem coronam auream: qui sibi  
subjecit sacram scripturam & universam Ecclesiam; omnia  
regna & imperia: sibi potestatem sumsit reges constituendi,  
& de folio deturbandi &c. De illo, inquam, Papistico figmen-  
to, quod nunquam fuit in rerum natura: sed in cerebro Papi-  
starum fictum & pictum: & juxta quod phantasma postmo-  
dum Papa efformatus, & magno scelere in Ecclesiam intro-  
ductus: proindeq; non vicarius Christi, sed ejus *ἀντικείμενος*  
est. Quomodo ergo non pepercisset Antonius Petro Aposto-  
lo? cujus ne minimā litera mentionem iniecit: proinde sine  
hac admonitione sibi in memoriam revocare potuit laudem  
Christi, ipsum *Beatum* dicentis. Sciat ergo Becanus, & sciant  
omnes Jesuitæ, illum Petrum non esse Petrum Apostolum,  
sed ipsum Pontificem Romanum, personatum illum & pseu-  
do-Petrum: qui semper Petri cathedram crepat: & interim ca-  
thedram mali spiritus possidet, & ex eo blasphematur.

LVI. Pergit Becanus: *secundò aliam injuriam illi facis, quia insinuas, tui similem, ac vindictæ appetentem esse. Tu certè, quia à Pontifice reprehensus es, vindictam paras, & de Sede Apostolica conaris illum deturbare. At Petrus meliori animo est. Reprehensus fuit à Paulo: non indignatur: non egrè fert: non stringit calamum, ut tu facis.*

LVII. Adhuc repeto, non loqui Antonium de Apo-  
stolo Petro, sed de pseudo-Petro, quem Petro Apostolo sub-  
stituunt Pontificii. Petrum Apostolum, extra controversiam  
est, non fuisse cupidum vindictæ, & reprehensum à Paulo  
non egrè tulisse: id autem dici posse de Pseudo-Petro, quem  
Pontificii colunt & honorant, negamus; quandoquidem is, li-  
cet in aliquot millia animarum ita extremè injurius sit, ut il-  
las secum in infernum rapiat; nemo tamen ad ipsum dicere  
audeat, Papa quid facis! Deinde testatur experientia, quòd  
libros illos, quibus corrigitur, & ejus mali mores reprehен-  
duntur, proscribat, & diris devoveat. Concedimus ergo li-  
benter, quod Petrus, nempe Apostolus, meliori sit animo; pes-  
simo autem hic Pseudo-Petrus: proindeque illi totus contra-

D

rius,



rius, & sic nihil cum vero Petro, h.e. Apostolo, commune habeat, præter nomen.

LIX. Addit Jesuita: *Tertiò etiam Paulo injuriam irrogas, quasi ipse depresserit Petrum, & ipsius errores exaggeraverit. Invidiosa sunt hæc verba. Non voluit illum deprimere, sed à lapsu erigere: non errores exaggerare, sed errorem corrigere.*

LX. Nullam nos hic videmus injuriam; neq; ipse Paulus pro injuria acciperet, quod de ipso hic dicitur. Non enim loquitur Antonius de factò Pauli, quale fuerit in se, sed quale acceptum & æstimatum fuisset à Petro tali, qualem fingunt Papistæ, nempe à Monarcha, & supremo Christi ac Dei vicario; qualem neque reprehendit Paulus, neque se Petrus Apostolus jactitavit: Quomodo ergò aliquid hic dictum fuerit cõtra Paulum vel Petrum? Deinde ludit rursus fallacia Æquivocationis Becanus in verbo *deprimere*. Hoc certum est: quod Paulus reprehensione sua noluerit deprimere personam Petri; interim errorem & lapsum Petri deprimere voluit: Pseudo-Petrus nihilominus pro depressione personæ, ut Becanus, factum illud accipere, & sic sinistrè interpretari potuisset.

LXI. *Quartò similem labem aspergis Petri successoribus; quasi ipsi nolint sua errata corrigi; nolint moneri officii sui: sed eos, qui hoc tentaverint, proscribant, ac diris devoveant. Temerarium hoc judicium & falsum est.*

LXII. Respondemus, temerariam & falsam esse negationem Becani. Quandoquidem praxis in Ecclesiâ Pontificia publicè contrarium testatur. Sanè nos admittimus, ut Pontificiorum libri in nostris Bibliopoliis publicè prostent venales: nulli emtori hic aliquid denegatur vel prohibetur. Demonstrant Pontificii simile Romæ, vel etiam aliis in locis, ubi dominium habent Pontificii, concedi. Ibi libri, à nostris pro nostra Religione contra Papam & papistas scripti, planè proscripti sunt, nullus in Bibliopoliis invenitur, nulli vel emere vel legere permittitur. Cum ergò impedire non possit Papa, quò minus publicis scriptis ejus mores à nostris reprehendantur; efficit tamen, ne illa à suæ Religioni addictis legantur.



gantur. Aliàs, ut aliquoties repetivimus, in suo Regno nemo  
audet dicere, Papa quid facis, nedum in os sive faciem ipsi con-  
tradocere.

LXIII. Progreditur nunc Becanus ad 6. objectionem:  
Quæ est: *Quod Pauli scripta destruunt primatum Petri.* Quod sic  
probas, pergit Becanus §. 50. *Quia, quãdo Paulus nominat insignio-  
res Apostolos, Petrũ aliis postponit, ut Gal. 2, 9. Jacobus, & Cephas,  
& Joannes. Secundo, quia ibidem non de solo Petro, sed etiã de Ja-  
cobo & Johanne dicit: qui videbantur columnæ esse. Ergo Jaco-  
bum & Johannem Petro exæquat. Tertiò, quia Jacobus, Petrus, &  
Joannes dederunt dextras societatis Paulo & Barnabæ; ut hi ingen-  
tes, illi verò in circumcissionem ferrent Evangelium. ( ibidem ) At istæ  
dextræ societatis repugnant primatui Petri. Quarto, quia Paulus  
2. Cor. 12, 11. scribit: nihil minus fui ab iis, qui sunt supra mo-  
dum Apostoli. Quæ verba magnum præjudicium faciunt prima-  
tui Petri.*

LXIV. Sed quid ad hæc Becanus? Respondeo, inquit §.  
51. *piget in istis quisquiliis herere. Sed tamen ut est in Proverbiis,  
respondendum est stulto juxta stultitiam suam, ne sibi sapiens  
esse videatur. Ac primò, non est certum, Petrum medio, non primo  
loco positum esse à Paulo. Nam, ut bene notatum est à Cardinale Bel-  
larmino, multi Patres præsertim Ambrosius, Chrysostomus, Augusti-  
nus & Hieronymus, primum locum illi assignant. Esto tamen; medio  
loco inter Jacobum & Johannem positus sit. Cur in eo vim facis? Cur  
non potius in eo, quòd non semel, sed sæpius in Evangelio positus sit pri-  
mo loco, quando omnes Apostoli simul recensentur: conferamus hæc  
duo inter se. Tu ais, semel non esse positum primo loco: Ego, sæpè posi-  
tum esse primo loco. Tu, semel positum esse post unum: Ego sæpè posi-  
tum esse ante omnes. Tibi multi contradicunt, ut Ambros. Chrysost.  
August. Hieron. Mibi nullus: ne tu quidem. Uter ergò melioris causæ  
patronus est?*

LXV. Regerimus i. si sunt quisquiliæ argumenta il-  
la Antonii, & si stultus, qui in illis est occupatus; cur ergò in  
prærogativis non tantum non meliora, sed deteriora adduxit  
cum suo Bellarmino Becanus? Sed idem, vel etiam deterius,



quando à Jesuitis proponitur, omnes admirari debent: quando verò ab aliis, nempe Lutheranis, vel qui eorum partes defendunt, meliora adferuntur, Jesuitis sunt quisquilæ, sunt stulta. Verùm stultus est, qui non stultam animadvertit Jesuitarum arrogantiam.

LXVI. Quod deinde in dubium vocet Petrum medio loco positum esse, & rationem addit ex Bellarmino, quod sub Ambrosio, Chrysostomo, Augustino & Hieronymo ipsi primus locus adsignetur, mirum est: cum hic non sit quæstio, quem locum Petro illi Patres in suis scriptis & commentariis tribuant; sed quo loco ponatur in Epistolis Paulinis. Possumus ex illis Epistolis adhuc alia allegare dicta, in quibus ultimo loco ponitur, ut 1. Cor. 9, 5. *ut & reliqui Apostoli & fratres Domini, & Cephas. 1. Cor. 3, 22. Sive Paulus, sive Apollos, sive Cephas.* Sive ergò dicat Antonius, sive non dicat, quod ipsi tribuit Becanus, nempe Petrum semel non esse positum primo loco, nihil ad nos; quippe qui jam demonstravimus, id sapius factum esse. Petrum quoque primo loco poni, non negamus: id verò fit propter ordinem: quo eum primum fuisse concedimus. Non autem, qui ordine primus est, statim Monarcha est.

LXVII. Pergit Becanus §. 52. *Addo, nec Paulum, quocunque loco posuerit Petrum, tibi patrocinari. Nam in eadem Epistola ad Gal. cap. 1. disertè scribit, se venisse Hierosolymam, ut videret Petrum, & quindecim diebus apud eum mansisse. Cur non veniti ad Jacobum & Joannem? Nimirum quia pluris Petrum, quam illos aestimabat. Unde Ambrosius circa illum locum: dignum fuit, inquit, ut cuperet videre Petrum, quia primus erat inter Apostolos, cui delegaverat Salvator curam Ecclesiarum. Et Hieronymus Epist. ad Augustinum (quæ est undecima inter Epistolas Augustini). Tanta Petrus autoritatis fuit, ut Paulus in Epistola sua scripserit: deinde post annos tres veni Hierosolymam videre Petrum. Et Chrysostomus Homil. 87. in Johannem. Os erat Apostolorum & princeps: propterea & Paulus eum præter alios visurus ascendit. Et Theodoretus in c. 1. ad Galatas: Etenim cum humana doctrina non indigeret, ut qui ab universorum Deo eam accepisset Apostolorum principi, quem*



quem par est, honorem detulit. Et Oecumenius ibidem: Post tot tantaq; certamina abiit, ut videret Petrum, tanquam majorem. Ut autem etiam maneret, causa honoris, quem Petro deferebat, factum est.

LXVIII. Sed quid verbis illis concludit? Nihil sane pro sua opinione. Quæ enim est consequentia: Paulus scribit, se venisse Hierosolymam, ut videret Petrum, & quindecim diebus apud eum mansisse: non autem venit ad Jacobum & Johannem: Ergo Petrum agnovit pro Monarcha, & tali Domino, qui jurisdictionem habeat in universam Ecclesiam? Risum teneatis amici. Taceo, quod etiam pervenerit, & quidem primum ad Jacobum, plurima cum modestia, velut ad majorem & honoratiorem, ut Chrysostomus de ipso testatur, uti illum allegavimus supra Disp. 29. Th. ult. Tertio, Ambrosius quoq; non simpliciter dicit de Petro, quod ipsi commissa sit cura Ecclesiarum; sed *Ecclesiarum inter Judæos*, ubi etiam ipsi primatum tribuit: ut contra in Ecclesiis gentium æqualem primatum Paulo tribuit, ut ex præcedentibus patet. Augustini dictum nihil planè probat. *Petrus in maxima fuit autoritate, ut et à Paulus ad ipsum venerit*: sed quid inde? Ergo inferendum, Petrum fuisse Monarcham? Credat, qui velit: nunquam tale quid nobis persuadebitur. Sic nulla est consequentia: Petrus à Patribus dicitur os, itemque princeps Apostolorum: Ergo est Monarcha in Ecclesia; sive inter Apostolos. SuffICIENTER & sæpius in præcedentibus est demonstratum. Si ex voce *Majorem* esset primatus jurisdictionis inferendus: tum etiam illum Jacobus habuisset. Nam & ad illum dicit Chrysostomus, *tanquam ad Majorem venisse Paulum*. Sed de ejusmodi phrasibus Patrum hæcenus sæpius actum est.

LXIX. Jam verò ex eo (pergit Becanus §. 53.) quod Paulus scribit de Petro, Jacobo & Johanne, qui videbantur columnæ esse, non recte inferat, duos illos Petro fuisse exæquatos. Nam inter plures columnas una potest esse sublimior, quam altera. Sicut supra monui in simili casu inter plures summos, unum posse altiorem esse, quam reliquos. Et habemus manifestum exemplum in scriptura Prov. 9, 1. Sapiencia ædificavit sibi domum, excidit columnas



septem. Ubi juxta interpretes, per septem columnas, vel intelliguntur Doctores Ecclesie, vel Sacramenta, vel dona Spiritus Sancti. Et tamen non sequitur, vel omnes Doctores, vel omnia Sacramenta, vel omnia dona Spiritus sancti esse inter se equalia. Imò constat, ubiq; esse magnam differentiam. Nam de Doctoribus legimus Dan. 12. 3. Qui docti fuerint fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. Jam verò, ut loquitur Apostolus, 1. Corinth. 15, 41. Stella differt à stella in claritate. Similiter certum est, inter Sacramenta precipuum esse Baptismum, quoad necessitatem: Eucharistiam, quoad præstantiam. Deniq; dona Spiritus Sancti, ( quæ septem numerantur ab Isaia, cap. 11, 2. nempe sapientia, intellectus, consilium, fortitudo, scientia, pietas, timor Domini ) non sunt omnia inter se paria. Quomodo ergò ex eo præcisè, quod tres Apostoli vocantur columnæ, putas convinci posse, æquales inter se esse? Nihil minus.

LXX. Totus hic discursus inanis Spermologia est, omnia enim quæ concluduntur, allegoriis & metaphoris innuntantur. Allegorias autem non esse argumentativas, ipsimet Pontificii & Jesuitæ concedunt. Nam licet concedatur, inter plures columnas unam esse posse sublimiorem cæteris, & inter plures summos unum esse posse altiorem reliquis: inde tamen non potest inferri, quod sibi imaginatur Becanus. Nam columna superior, nihil aliud quàm in genere excellentius quid, & altius significare potest; in quo autem consistat ille excellentiæ & altitudinis gradus ex ista similitudine sumi nequit.

LXXI. Admodum autem absurdum videtur, quod inter plures summos, in eodem supremo officio constitutos, utpotè in summo Apostolatu: & qui respectu officii illius summi sive supremi dicuntur, detur superior. Davus sum non Oedipus: Quocirca hoc inflatæ sapientiæ commentum non intelligo. Interim scio, quod inter summos in eodem officio detur superior; sed non respectu illius officii, sed duntaxat respectu ordinis: ubi enim inter plures summos non est ordo, ibi confusio: quæ semper vitiosa est. Quare superioritas illa non qui-



quidem excludit ordinem: negat autem supremam jurisdictionem, & potestatem unius in alterum, respectu illius officii. Nam si uni inter illos supremos conceditur jurisdictione in ceteros, tum ceteris illis officio & dignitate superior constituitur, & illi superiores sive summi isti jurisdictionem habenti & exercenti, æquales negantur. Quare qui inter Apostolos superior fingitur quoad jurisdictionem, illi aut melius aut dignius Apostolatus officium tribuitur: aut concedendum, quod Apostolatus dignitas & excellentia habeat gradus, ut unus Apostolus sit dignior altero: quod absurdum est. Cum dignitas Apostolatus sese habeat in suo genere, ut dignitas Episcopatus, sive Pastoralis in suo. Ut ergo hæc æqualis est, & eandem habet rationem & potestatem, qualicumque etiam sint modo comparatæ personæ, quibus hoc officium commissum est: sic quoque Apostolatus apud omnes eandem habuit rationem, & sibi similis est, licet personæ sint dissimiles. Ut autem hoc absurdum; sic nequaquam concedendum, quod majus & dignius officium Apostolatu detur, uti id sæpius demonstravimus.

LXXII. Deinde cui bono adducit illud *Proverb. 9, 1.* & variam ejus explicationem? Quid per Deum immortalem, illo probat? Sanè nihil aliud, quam quod illa, quæ *plura* dicuntur, non quatenus plura sunt, dicenda sint, ac statuenda inter se æqualia. Quis autem hoc fecit Jesuita? Nullus & nemo mordent se in sacco. Non dicimus Apostolos inter se esse æquales, propterea quod sint plures: nullo modo: sed propterea quod sint æquæ Apostoli; proindeque omnes munus istud summum Apostolatus à Christo æquæ acceperunt, & quidem ad eundem finem, ut docerent omnes gentes Evangelium, & baptisarent, simulque docerent servare omnia, quæ ipsis à Christo præcepta fuerant, *Matth. 28, v. ult.* Concedimus ergo libenter, quod dona Spiritus sancti sint varia & inæqualia, quod Doctores ratione eruditionis, diligentia &c. sint impares: Inæqualia autem esse Sacramenta Baptismi & Eucharistia ratione præstantia non concedo. Præstantia est eadem: licet diversitas in necessitate sit concedenda. Omnia ergo, quæ toto hoc  
para-



paraphrasi à Becano disputantur, scopum non feriunt, sed ubique committunt fallaciam ignorationis Elenchi. Quippe qui non dicimus, quod omnia plura, vel etiam dona Spiritus sancti, sint æqualia: interim concedendum omnino est, donum Spiritus Sancti summum ac supremum non fieri inæquale respectu personarum: sed consistere in indivisibili supremi- tatis puncto; ideoq; nullos gradus, & proinde inæqualitatem nullam, admittere.

LXXIII. Pergit ad tertium Becanus §. 54. *Quod tertio loco objicis, Petrum, Jacobum & Joannem dedisse dextras societatis Paulo & Barnaba, verissimum quidem est: sed non rectè inde conclu- dis, unum alteri non esse preferendum. Quasi verò, quicumq; dextras societatis sibi mutuò porrigunt, pares esse necesse sit. Non ita est. Pri- mò, quia societas potest esse inter inæquales, ut patet ex illo, 1. Joan. 1, 3. Ut & vos societatem habeatis nobiscum, & societas nostra sit cum Patre, & Filio ejus Jesu Christo. Deinde multi porrigunt sibi invicem dextras, qui honore & autoritate inter se differunt. Nam Jebu Rex dicit Jonadab filio Rechab, 4. Reg. 10, 15. Nunquid est cor tuum rectum, sicut cor meum cum corde tuo? Et ait Jonadab: Est. Si est, inquit, da manum tuam. Qui dedit ei manum suam. An ideo Jebu & Jonadab æquales? Nullo modo. Nam alter Rex erat, alter homo privatus.*

LXXIV. Et in hoc discursu committit ignorationem Elenchi, & thesin nostram non ferit: quippe quæ non est: *Nul- lum Apostolorum alteri quovis modo non preferendum esse: sed: Nul- lum Apostolorum in officio Apostolatus alteri preferendum esse.* Aliàs sane præter hoc officium & dignitatem omnino unus alteri præferri potest: uti etiã ipsemet Apostolus Paulus se cæ- teris, imò ipsi Petro præfert in eo, quod plus laboraverit, quã cæteri Apostoli omnes, ut jam de donis nihil dicam. Quod addit, *societatem esse posse inter inæquales;* neque hoc negavimus; sed tantum asseveravimus, inter illos inæquales, qui distin- guuntur, ut Magistratus & subditi; ut habens jurisdictionem, & ut jurisdictioni isti subditi, societatem non habere locum: & hoc verum & certum est. Et profectò Magistratus, ut talis, non



non recipit in societatem subditos: & subditi nunquam dicuntur esse in societate Magistratus: Quod rustici & pueri intelligunt.

LXXV. Dicto 1. *Johan. 1, 3.* nihil contra nos efficit. In Græco est *κοινωνία*, *communicatio*. Dicit ergo Apostolus, quod per doctrinam Evangelii perveniamus ad participationem inenarrabilis dignitatis, cum summa ac perpetua beatitudine conjunctæ: cum benefica Dei fruitione, qua dignatur se suos. que thesauros in vita æterna nobis communicare, ratione cujus communionis ipse nostra sufficientia, adeoq; omnia in omnibus futurus est, 1. *Corinth. 15.* Ad summam! agit de spirituali communicatione filiorum Dei cum ipso Deo, sive sacrosancta Trinitate. Quare nihil commercii, nullamque similitudinem habet cum illa societate, de qua impræsentiarum agimus.

LXXVI. Multos porrò sibi invicem porrigere dexteras, qui honore & autoritate differunt; quis & hoc negavit? Quis etiam ex nostris de hac quæstione unquam contra Pontificios disputavit? Certè 1. non in quæstione est, qui sibi invicem dexteras dare possint: sed qui sibi dexteras *societatis* dare possint. 2. non in quæstione est, an qui honore & dignitate inæquales sint, sibi dexteras *societatis* dare possint: sed an qui honore & dignitate ita sunt inæquales, ut unus sit magistratus, & habeat jurisdictionem in cæteros; & cæteri habeant sese ad illum unum ut subditi. De hoc agimus, non de illis. Quæ cum sint luce meridiana clariora, non est, ut immoremur in exemplo ex 2. *Reg. 10, 15.* Quis enim unquam ex nostris negavit, Regem & Personam publicam posse dextram dare homini privato, & ipsum in gratiam accipere?

LXXVII. Pergit Becanus ad ultimum §. 55. *Illud denig.* Nihil minus sui ab illis, qui sunt supra modum Apostoli, non intelligitur de jurisdictione, quasi velit dicere, se nulli Apostolorum cedere in potestate jurisdictionis, ut tu perperam contendis, sed partim de revelationibus, partim de laboribus & miseriis pro Christo susceptis, partim de prodigiis & miraculis ab eo patratiss: In quibus omnibus

E

se ait



*se fait nemini impari esse. Hoc patet ex ipso contextu. Nam de revelationibus sic loquitur: Si gloriari oportet (non expedit quidem) veniam autem ad visiones & revelationes Domini. Et postea pergit: propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo. Cum enim infirmior, tunc patens sum. Factus sum insipiens: vos me coegistis. Ego enim a vobis debui commendari: Nihil enim minus fui ab iis, qui sunt supra modum Apostoli, tamen nihil sum: signa tamen Apostolatus mei sunt super vos in omni patientia, in signis & prodigiis & virtutibus. Nulla hic mentio jurisdictionis. Sed tu, Marce Antoni, ut heretici solent, detorques omnia ad tuum sensum. Pudeat impostura.*

LXXVIII. Certè pudet nos imposturæ & insanitæ tuæ Jesuita. Quis enim unquam dixit ex nostris, verbis illis loqui Paulum de jurisdictione, vel suprema potestate, ut illam sibi in Ecclesia arrogaret? Nullus sanè. Scimus enim, quod illa sit planè *non Ens* in scriptis Apostolorum. Interim certum est, & verba Pauli sunt satis perspicua; quod illis non dicit, se tantùm in istis enumeratis partibus & laboribus non esse minorem illis, qui sunt supra modum Apostoli: sed simpliciter & generaliter, *se nihil minus fuisse ab iis summis Apostolis*: quod idè, ac si dixisset, se in nullo minorem fuisse summis illis Apostolicis viris. Quod autem non recenseat Paulus jurisdictionem inter illas enumeratas partes & labores sui Apostolatus, id non propterea facit, ut illam excipiat, sed quia nulla erat.

LXXIX. Ineptissima ergò est argumentatio, & sophisma Becani, quo ita vult argumentari: *Ubi nulla fit mentio jurisdictionis, ibi illa Apostolo non tribuitur. Atqui in his Apostoli Pauli dictis nulla fit mentio jurisdictionis: Ergò in illis dictis Paulo non tribuitur: vel illam sibi ipsi Paulus non tribuit.* Si hoc argumentum valet pro Becano; & Paulo per illius vim & consequentiam Jurisdictio derogatur: Ergò simile argumentum valebit pro nobis sic formatum: Ubi in sacris literis, quando de Petro & ejus Apostolatu agitur, nulla fit mentio jurisdictionis; ibi Apostolo Petro jurisdictio in cæteros Apostolos non tribuitur.

URAT.



tur: Atqui nullibi in sacris literis, quando de Petro & ejus Apostolatu agitur, fit mentio jurisdictionis in cæteros Apostolos: Ergò Nullibi in sacris literis Petro jurisdictione in cæteros Apostolos tribuitur.

LXXX. Profectò argumentum hoc eadem vi consequentiæ est præditum, quâ Becani: ut omnes, qui intellectum habent, fateri coguntur. Ergò quia in argumento Becani est firma & immota: etiam in nostro ejusdem erit roboris. Non ergò, quos tu hæreticos vocas Becane, detorquent omnia ad suum sensum: sed tu cum tuis sociennis hujus criminis merito accusaris: quippe qui dicta illa, quæ vel juxta literã, vel juxta sensum diligenter examinata, nullam omninò nobis de Petro revelant jurisdictionem, sed duntaxat Pasturam talem, qualem cæteri Apostoli acceperant; illa, inquam, vos obtorto collo torqueris ad vestram libidinem.

Pudeat imposturæ!

F I N I S.





... in facie hinc - quando de Petro et A-  
postolatu agitur, in mente jurisdictionis in ecclesia Apo-  
stolice hinc in facie hinc Petro jurisdictione hinc  
Apostolice jurisdictionis hinc in facie hinc  
LXXXI. In hoc agnoscimus hoc eadem vi conse-  
quente est, quod in quibusdam hinc in facie hinc  
habent hinc agnoscimus hinc in facie hinc  
hinc in facie hinc in hinc in facie hinc  
ergo, quos in facie hinc hinc in facie hinc  
hinc in facie hinc hinc in facie hinc  
hinc in facie hinc hinc in facie hinc  
hinc in facie hinc hinc in facie hinc  
hinc in facie hinc hinc in facie hinc  
hinc in facie hinc hinc in facie hinc

*De Primatu Petri: quod ille de-*  
*struat eum in facie hinc*

*In Ecclesia hinc in facie hinc*  
**JACOBUS CAROLINI S.S. TH.**  
*Doct. & hinc in facie hinc*

*JOHANNES GOTTFRIDUS*  
*in facie hinc*

*Officium Typographi hinc*  
*anno in facie hinc*





99 A 6900

ULB Halle 3  
002 622 092




SB

Repro

VD 77











64

TERTII  
Confessionem  
XXXI.

ens  
TICVLI VII.

clesia,

cie,  
quod ille de-  
nfone, tum scri-  
uli.

ta,  
ia VVittebergensi,

I D E  
RTINI S.S. Th.

imario, Facult. Theol.

Arcis Præposito,

DENTE  
E SOLGERO

- Varisco.

llegii Veteris  
Januarij.

ER G Æ,  
II ROTH, Acad. Typogr.  
XXXI.

